

precor . . . <sup>1)</sup> ad omne officii genus semper invenies devinctissimum.

Intra breve tempus delineationem simul et accuratam dabo descriptionem Cardii istius Arabici. Vale, Vir Generose!

Dabam Hafniæ

e domo Elersiana d. 16. Febr. 1765.

Societati Regiæ Scientiarum Upsaliensi. à Upsala free  
Elseneur.

(44) Viro Generoso et Perillustri  
D<sup>no</sup> Carolo von Linné  
Equiti

S. pl. d.

M. Th. Brünnichius.

Jam in eo est ut Regio mandato simulque sumtibus iter aggrediar intra 3 proximas septimanas. Vi hujus mandati debeo excolere studium œconomicum et hist: nat: easque ipsas scientias publice docere ex itinere reversus. Hollandiam et Angliam primum visitare mihi incumbit, deinde bono cum Deo Sueciam petere est animus. Si in hisce meis itineribus occurrat aliquod, in quo observando Tibi inserviam, mandato obsequar.

Occasionem exspecto, qua data mittam Tibi aves sequentes: Falconem lagopod: Ornith. bor. 15. Tringam ferrugineam et Tringam maritimam Ornith. bor. 180 et 182.

Observationem feci circa Colymbum arcticum sc. quod junior (non pullus) similis est parenti tam quoad abdominis album, quam quoad dorsi colorem, nigrum et maculis quadrangulares albas; differt autem pullus in eo quod loco maculæ istius, magnæ atro-purpureæ in colli parte supina, area adest ejusdem magnitudinis ex albo nigroque varia, inde concludo Colymbum torquatum esse speciem distinctam.

<sup>1)</sup> Her ere et Par Ord bortskaarne ved Brevets Aabning.